Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26147
Copyright: Admont, Benediktinerstift

hereticis precisis et dampnatis qui sacramenta permanere cum iure dandi.
Possunt enim dare sed perniciose. et quibus dederint non sunt iterum ordinandi. Quod premis
sis expositionibus obviare videtur. Determinatio auctoritatum premis
c. l. i. Hec autem quidam ita determinant. Dicunt enim hereticos accep -sarum contradictionis.
ta sacerdotali vel episcopali unctione ab ecclesia recedentes baptismi quidem
dandi ius retinere. sed non habere facultatem tribuendi sacros ordines vel consecran
di dominicum corpus postquam precisi sunt et dampnati ab ecclesia. sicut degradatus episcopus non
habet potestatem largiendi sacros ordines. facultatem tamen baptizandi
non amisit. Quod vero augustinus ait. intelligunt dictum de hereticis qui non sententia
ecclesie sed pravitate sensus sui a fidei veritate ac doctrine unitate divisi
sunt. qui licet tales. ius tamen ordinandi et consecrandi habent. et qui ab eis ordinantur
ante manifestam precisionem et sicut cum eis aperte exierint et sententia ecclesie
dampnati fuerint. tamen si redierint iterum ordinandi non sunt. et ubicumque legitur
de ordinatis ab hereticis conservatis eis ordinibus ministrare valeant.
vel iterum ordinandi non sint. de his hoc accipiendum dicunt. Nam postquam precisi fu
erint et dampnati iudicio ecclesie. ius ordinandi et consecrandi eis de
S symonia. inceptum auferunt ut degradatis vel excommunicatis. Alii vero dicunt sacramenta
ab hereticis et precisis secundum formam ecclesie celebrata vera esse et rata.
quia recedentes ab ecclesia ius dandi et consecrandi non perdiderunt. et qui sic ab
hereticis ordinantur. cum redeunt iterum ordinandi non sunt. Quod vero ab hereticis
aliter quam in ecclesia fiunt. falsa et inania sunt. et qui a talibus ordinari videntur
non munus sed vulnus acceperunt. et secundum hanc differentiam varie de his
locuntur doctores. Quidam vero dicunt eadem sacramenta ab hereticis precisis pos
se celebrari que a catholicis. si ab illis forma ecclesie servetur. et ab
eis celebrata vera esse et rata quantum ad se. quantum vero ad effectum falsa
esse et inania et in his qui male tractant. et in his qui male suscipiunt.